



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Capvt XII. Oratio ad salutandum Dominum nostrum Iesum Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

768 DE ELEVATIONE MENTIS IN DEVM.
vt vadas & venias iterum ad me tempore opportuno; donec finito probationis certamine, assumes ad te ipsum in æternam gloriam tuam: in qua viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XII.

*Oratio ad salutandum Dominum nostrum
Iesum Christum.*

Ave Domine Iesu Christe, rex sanctorum angelorum: cui omnes virtutes obediunt cælorum: quem Cherubin atq; Seraphin adorant, laudant, & benedicunt in secula seculorum.

Ave Domine Iesu Christe, verus Messias & sanctus sanctorum, missus ab arce Patris in hunc mundum: quem omnes sancti ab origine expectauerunt: quem Patriarchæ magnis desiderijs videre cupierunt: quem Propheta varijs præconijs venturum cecinerunt.

Ave Domine Iesu Christe, creator ac redemptor generis humani: quem apostoli & euangelistæ mundo prædicauerunt, & verum Dei Filium pro nobis incarnatum, passum, & resuscitatum docuerunt: atque gloriosis signis & prodigijs coruscantes, sanctam per orbem ecclesiam plantauerunt.

Ave Domine Iesu Christe, fortissimus propugnator & fidelissimus adiutor Sanctorum, quem gloriosi martyres spretis mundi huius delectationibus, spretis & corporis sui supplicijs, beatæ passionis agone imitati sunt: atque pro testamento fidei, se morti constanter tradiderunt.

2. Ave Domine Iesu Christe, summus sacerdos & verus pontifex, & pastor æternus: quem sacerdotes & Levitæ, doctores atque confessores, vita, scientia, & virtutibus clarificauerunt: quæ monachi & eremitæ, per arctam angustamque viam gradiætes, tota mentis deuotione dilexerunt.

Ave Domine Iesu Christe, Sponsus virginum, solamen viduarum, spes pupillorum, refugium destitutorum, leuamen tristem, æterna salus credentium, portusque latissimus omnium ad te venientium: quem speciali castitatis decore virginum chorus sequitur innumerabilis, ferens immaculatam aureolam suæ integritatis.

Ave Domine Iesu Christe, lux mundi, fons vitæ, paradus animæ, iucunditas cordis, dator gratiæ, restitutor innocentia: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi: quæ nosse, viuere, cui seruire, regnare est: quem semel vidisse, est omnia didicisse, in quem angeli videre concupiscunt, ac nouo
semper

semper desiderio contemplando fatiantur. Tibi laus, tibi gloria,
tibi gratiarum actio, cum Patre & Spiritu sancto in secula secu-
lorum. Amen.

ALPHABETVM PARVVM.

MONACHI IN SCHOLA

CHRISTI.

DISCIPVLVS.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.
Obfecro te Deus meus, doce me vias bonæ vitæ, pro salute
animæ meæ. Monstra mihi vias mandatorum tuorum, vt nar-
rem eas. Doce me semitas consiliorum tuorum, vt ambulem in
via immaculata. Aufer cæcitatem meam, ne sit non satis mon-
strasse. Infunde gratiam spiritus tui, qui deducet me in viam
rectam.

Magister Deus.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris,
firmabo super te oculos meos.

Lectio 1.

Ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hoc tibi salubrius est &
utilius, si vis ad vitam ingredi, quam laudari ab hominibus.

Lectio 2.

Beneuolus esto omnibus, non solum bonis, sed & malis, & nulli
onerofus.

Lectio 3.

Custodi cor tuum ab euagatione, os tuum ab otiosa locutione,
& cæteros sensus ab rigore disciplinæ.

Lectio 4.

Dilige solitudinem & silentium, & inuenies quietem magnam,
& conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter est
strepitus, & magna distractio cordis.

Lectio 5.

Elige paupertatem & simplicitatem, & cum paucis sis con-
tentus, & non facile murmurabis.

Ccc

Lectio 6.